



CONGREGATIO  
DE INSTITUTIONE CATHOLICA  
(DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)

**NORMAE SERVANDAE**  
ad affiliationem theologicam exsequendam

Quadriennii Theologici <sup>1</sup> .....

Facultati Theologicae <sup>2</sup> .....

I. DE FACULTATIS AFFILIANTIS OFFICIIS

Art. 1. – Constitutio alicuius Delegati vel Commissionis pro Affiliatione

Affiliationis negotium competentiae subest Consilii Academici Facultatis affiliantis. Hoc vero aliquem Delegatum ad rem idoneum eligat communiter inter Docentes Facultatis. Si tamen Quadriennia affiliata plura sint, Consilium specialem constituat Commissionem permanentem pro Affiliatione. Tum Delegatus tum Commissio, potestate delegata, totam materiam tractent et semel saltem in anno de eadem Consilio referant, ad congruas decisiones ab eodem sumendas vel confirmandas.

Art. 2. – Delegati vel Commissionis munera

1° – Praeter accuratam expeditionem omnium rerum, quae ad concedendam affiliationem praerequiruntur (cf. art. 47 "Ordinationum" Const. Apost. "Sap. Chr." adnexarum et n. 7 "Notionis"), Delegati vel Commissionis est in felicem affiliationis exitum continuo incumbere.

2° – Peculiariter iisdem competit:

a) "curricula vitae, studiorum et operum" <sup>3</sup> perpendere singulorum Docentium disciplinarum theologicarum Quadriennii Theologici, eorum idoneitatis comprobandae causa;

b) annua programmata ponderare disciplinarum theologicarum, an recte in quattuor curriculi annos distribuantur iustumque horarum numerum sibi attributum habeant;

c) textus scholares seu manualia <sup>4</sup> inspicere ac probare in Quadriennio adhibenda ad theologiam docendam, una cum bibliographia a Docentibus proposita;

---

<sup>1</sup> Nomen Instituti, in quo Quadriennium vigeat, et locus.

<sup>2</sup> Nomen Facultatis (et Universitatis, in qua Facultas forte sita sit), et locus.

<sup>3</sup> Haec curricula, nisi quid in ipsis immutandum postea evenierit, semel tantum ad Facultatem mittenda sunt, initio suscepti muneris docendi.

<sup>4</sup> Solae Docentium adnotationes ("dispense") non sufficiunt.

d) vigilare ut peculiare condiciones ad collationem Baccalaureatus praestitutae fideliter impleantur (cf. art. 7);

e) perpendere relationes scriptas, annuales et quadriennales, a Moderatore studiorum Quadriennii ad Facultatem mittendas.

### Art. 3. – Aliae Facultatis obligationes

Praesidis (vel Decani) Facultatis est:

a) repraesentantem Facultatis (nisi per se ipse interesse voluerit) designare, qui examini candidatorum ad Baccalaureatum praesit vel adsit;

b) singulis quadrienniis, visitationem statuere Quadriennii affiliati, ad studia in eo inspicienda et ulterius promovenda, ac de visitationis exitu curare ut Consilio Facultatis scripto singillatim referatur. Praeses deinde (vel Rector Universitatis) hanc visitationis relationem ad Congregationem de Institutione Catholica mittat, additis opportunis notitiis et animadversionibus, una cum iudicio Consilii Facultatis.

## II. DE OFFICIIS QUADRIENNII AFFILIATI

### Art. 4. – Numerus et qualitas Docentium

a) Docentes disciplinarum theologiarum saltem septem numerari debent.<sup>5</sup> Iidem gradum academicum canonicum congruentem consecuti sint oportet, aliquot Doctoratus, ceteri vero saltem Licentiae (cf. art. 50, § 1 "Sap. Chr.").

b) Nitendum est ut Docentes disciplinarum theologiarum stabiliter officio suo addicantur et liberi sint ab aliis muneribus nimis onerosis.

c) Curent Docentes ut catholicam doctrinam studiose tradant, prout a Magisterio Ecclesiastico proponitur.

### Art. 5. – Subsidia didactica

Ut disciplinae theologicae rite doceantur et discantur, apta subsidia didactica praesto sint, in primis Bibliotheca in re theologica instructa, in qua etiam praecipua periodica theologica inveniantur.

### Art. 6. – Moderatoris studiorum munera<sup>6</sup>

Moderator studiorum Quadriennii — inter peritiores Docentes theologiae de more eligendus — diligenter et continuo prospiciat regulari statui et probatae activitati didacticae Quadriennii. Peculiariter, ei competit ad Facultatem mittere:

1° – Ante inceptum unumquemque annum scholarem:

a) studiorum programmata totius curriculi quadriennalis, prout in illo anno scholari tradentur, sat analytice digesta, et indicatis universis horis unicuique disciplinae theologicae attributis;

---

<sup>5</sup> Id est, de more: pro – Sacra Scriptura, – Theologia Fundamentali et Dogmatica (duo Docentes), – Liturgia, – Theologia Morali et Spirituali, – Jure Canonico, – Patrologia et Historia Ecclesiastica.

<sup>6</sup> Vitanda sunt nomina, quae praesumptam condicionem academicam Quadriennii evocare possint, uti sunt "Praeses", "Decanus", aut "Vice-Praeses", "Vice-Decanus", vel similia (cf. n. 4 "Notionis").

b) elenchus Docentium (cum eorum "curriculis"), indicatis tum anno, ex quo ipsi docere inceperint, tum disciplinis theologicis ab iisdem per annum tradendis;

c) elenchum et statum scholarem studentium quarti solius anni theologici, qui sint ad Baccalaureatum candidati, ut Facultati inscribantur;<sup>7</sup>

d) brevem relationem de peractis in anno scholari praecedenti, praesertim de exitu examinum ad gradum;

2° – Unoquoque quadriennio expleto, relationem quadriennem de omnibus ad affiliationem spectantibus.

### III. EXAMEN AD BACCALAUREATUM

Art. 7. – Condiciones ad gradum assequendum<sup>8</sup>

Candidatus ad gradum ostendere debet se:

a) biennium philosophicum — prout a Conferentia Episcopali aliave Auctoritate Ecclesiastica competenti, Sancta Sede approbante, dispositum est — rite explevisse;

b) omnia examina curriculi theologici quadriennalis statutis temporibus superavisse;

c) cursum specialem methodologiae theologiae frequentavisse atque seminarium practicum participavisse, quadam absoluta exercitatione scripta indolis methodologicae;

d) examen scriptum et orale ad gradum superavisse super thesario a Facultate ita statuto, ut per illud candidatus ostendat se visionem organicam et syntheticam theologiae catholicae adeptum esse. Examen fiat coram Commissione aliquot examinerum, quorum unus sit repraesentans Facultatis (cf. art. 3, a).

Art. 8. – Testimonium adepti gradus Baccalaureatus

Testimonium adepti gradus Baccalaureatus Sacrae Theologiae denominationem seu inscriptionem Facultatis affiliantis referet (cui soli spectat gradum conferre) — et Universitatis, si forte Facultas in ea sita sit — necnon subsignationes et sigilla Auctoritatum Facultatis (et Universitatis) atque Moderatoris studiorum Quadriennii.

### IV. TRIBUTA SOLVENDA

Art. 9. – Taxae atque expensae

a) Taxae inscriptionis, examinis ad gradum et diplomatis gradus statuuntur a Facultate, consentiente Moderatore studiorum Quadriennii affiliati; taxae inscriptionis et diplomatis Facultati cedunt, examinis vero Quadriennio Theologico. Taxae examinis et diplomatis solvendae sunt ante examen ad gradum.

b) Expensae ad visitationem quadriennem peragendam, de qua in art. 3, b, a Quadriennio Theologico sustinendae sunt.

---

<sup>7</sup> Ad inscriptionem admitti possunt etiam studentes qui, quamvis titulo civili admissionis in Universitatem careant (cf. n. 65 "Rationis Fundamentalibus Institutionibus Sacerdotalibus"), tribus tamen labentibus prioribus Quadriennii annis indubia testimonia praebuerint idoneitatis suae.

<sup>8</sup> Cf. art. 45 "Sap. Chr." et art. 53 adnexarum "Ordinationum".

Art. 10. – Aliae condiciones, quas Facultas affilians in Quadriennio affiliato insuper explendas fortasse censuerit: .....

.....  
.....  
.....

Datum <sup>9</sup> .....

.....

Subsignationes partium contrahentium earumque sigilla:

<sup>10</sup> .....

.....

<sup>11</sup> .....

.....

.....

---

<sup>9</sup> Locus, dies, mensis et annus.

<sup>10</sup> Ordinarii Dioecesani vel Religiosi, a quo Quadriennium affiliatum iuridice pendeat (cf. notas nn. 3 et 4 "Conventionis").

<sup>11</sup> Praesidis Facultatis (vel Decani et Rectoris Universitatis).

---

**C O N G R E G A T I O   D E   I N S T I T U T I O N E   C A T H O L I C A**  
**( D E   S E M I N A R I I S   A T Q U E   S T U D I O R U M   I N S T I T U T I S )**

Prot. num.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Congregationis,